

deliciis habent. Sic torpedo mortua tantum abest, ut $\epsilon\lambda\theta\eta\omega\sigma$ inducat, ut multis etiam in alimentum veniat. Sed in homine, cæterisque mixti forma minimum, quamdiu vivit, exspirare non potuit; si ergo verum est, fluere ab hâc; hâc positâ ponentur occultæ, sublata peribunt, quod est contra experientiam.

§. 32. Ad utramque internam & externam causam, Hispanorum Gallorumque diversissima ingenia jucundâ oratione refert Bodinus Lib. V. de Rep. c. l. n. 501. Notat verò ibidem, Hispaniâ Gallorum multitudine abundantem, connubiis & societatibus utriusque gentis implicatam, optimi generis homines, & quidem Gallis & Hispanis præstantiores procreare videri; quoniam in Hispanis nimia tarditas, in Gallis nimia celeritas notatur; ut ita, Bodinò ipsò iudice, major internæ, quam externæ causæ sit efficacia, siquidem hæc in connubiis contra influentem, & externam actionem, mutationem inducit.

§. 33. In hâc verò sententiarum diversitate, & dissidentium multitudine quicquam certi determinare, periculò vix vacare videtur. Plures opiniones esse non miramur; de occultis loquuntur, in quæ non ingredimur. Rejeci verò eos, qui soli externæ causæ, illosque qui, de internâ agentes, vel solis qualitatibus primis mixtis, vel soli formæ qualitatibus occultarum originem adscribebant. Nos media incedamus viâ, eâque tutissimâ.

§. 34. Dico itaque quod occultæ oriuntur à primis & secundis variò modò mixtis instrumentaliter, & dispositivè: à formis verò efficienter, eductivè, & quasi resuscitativè. Forma scilicet quæ educit; temperamento tali vel tali resultant vexatissimæ qualitates.

§. 35. Prout itaque Qualitatum variæ dantur combinationes, variæ etiam eæque effectrices mirabiles educi poterunt. Forma enim est quæ se ad modum Temperamenti determinare solet. Et ut ex quolibet ligno non sculpiatur Mercurius, & si vel orco Phidias redeat: sic non ex quâlibet temperie quælibet qualitas. Accedit, quod diversæ formæ diversarum facultatum hæredes, quibus diversimodè educunt diversas qualitates.

§. 36. Dixi instrumentaliter temperiem peculiarem concurrere. Hinc non valet dixisse, impotentes esse qualitates manifestas. Nam & calor in entitate sua imperfectior, & tamen producit
sub-